

## XLII.

**I**Dola Specûs sunt Idola hominis indiuidui. Habet enim vnusquisque (præter aberrationes Naturæ humanæ in genere) Specum siue cauernam quandam, indiuiduam, quæ lumen Naturæ frangit & corrumpit; vel propter naturam cuiusque propriam & singularem, vel propter educationem & conuersationem cum aliis; vel propter lectionem librorum, & auctoritates eorum quos quisque colit & miratur, vel propter differentias Impressionum prout occurrunt in animo præoccupato & prædisposito, aut in animo æquo & sedato, vel eiusmodi; vt planè spiritus humanus (prout disponitur in hominibus singulis) sit res varia, & omninò perturbata, & quasi fortuita: Unde benè Heraclitus, homines Scientias quærere in minoribus Mundis, & non in maiore siue communi.

## XLIII.

**S**unt etiam Idola tanquàm ex contractu & societate humani generis ad inuicem, quæ Idola Fori propter hominum commercium, & consortium, appellamus. Homines enim per sermones sociantur; At verba ex captu vulgi imponuntur. Itaque mala & inepta verborum impositio, miris modis intellectum obsidet. Neque definitiones aut explicationes, quibus homines docti se munire & vindicare in nonnullis consueuerunt, rem vllò modo restituunt. Sed verba planè vim faciunt intellectui, & omnia turbant; & homines ad inanes, & innumeras Controuersias, & commenta, deducunt.

Sunt